HONORI NUPTIARUM
Reverendi & Doctißimi
DN. ELIÆ DOBLINI,
Ecclesiæ Freistadiensis Pastoris vigilantissimi.

Et

Lectißimæ, Honestißimæ, nec non Pudicißimæ Virginis
REGINÆ,
Spectabilis & Prudentis Viri
DN. THOMÆ KORENTZ,
olim Reipub. Grudentinæ Judicis p.m. relictæ filiæ, 8. Junij celeb.

Gratulantur amici. 1637

THORUNII,
Apud FRANCISCUM Schnellboltz/ 1637.

Ad Dominum Sponsum.

FElix, cui Pietas persuasit mentem animumque
Enthea codicibus applicuisse sacris.
Sed, quicunq; DEO ductus, felicior, haustas
In populum Domini voce refundit opes,
Ducitur ast tandem quam felicissimus ille.
Ordine qui aggreditur rem thalamumq; bono.
Non prius affectans tractansque uxoria, Sancto
Quam consecratus ritè Ministerio.
Sponse, mihi es locuples testis, cui cura teneri
Prima pijs studijs officioque fuit.
Hinc decus, hinc rarum superaddit & insperatum
E Philyreidibus mille Minerva memor;
Dans petat amplexus instante petita Virûm vi
REGINA KORENTZ, bella puella, tuos.
Optimus hinc dicit te quisque ter esse beatum,
Atq; DEUM tali voce precatur ovans.
Conjugium hoc, ô JHOVA potens, per funde per annos
Ubere multiplices prosperitate novum.

JOHANNES SEIDELIUS
Thorunii in Patria Ecclesiastes, ad Divum Jacobi.

Aliud

Aliud.

SIc ubi certatim mea quosvis jubila lætis
Promere Musa animis cernit Sponsisq; precari
Fausta novis, tunc vota etiam prorumpit in ista.
Vincula conjugij hæc præsenti Numine nexa
Divino, durent annos firmissima longos,
Dissolvenda homini nulli, quàm præter eidem
Qui tacito hæc placuit primùm concedere nutu.
Arctius hæc pietas Divûm constringat amorq;
Mutuus, atq; ligans binas concordia mentes.
Blandus amor, sincerus amor, sic se implicet illis
Ut Dea dispergens Vesanæ semina litis
Vires, quas jactat, frustra experiatur in illis
Mentibus amborum fixum stet, relliqj;
Sit, distracta ea dissidijs, non velle tueri
Grata Deo, laudata bonis, servandaq; fidis
Conjugibus, firmâ cingat pax illa coronâ.
Has igitur tædas lætanti mente jugali
Autor connubij & vestra hæc pia cæpta secundet.

Gratulabundus apposuit

GREGORIUS SCHUBERTUS
Grudenti Ecclesiastes Lutheranorum Teuto-Polonicus.



Aliud.

DUm tibi conjungis sociali fœdere Nympham,
Castam REGINAM, vir Reverende, sapis.
Hoc etenim sanxit cœli terræq́ Creator,
Laudibus ut summis Biblia Diva ferunt.
Hincq́ statum esse sacrum dixit Paphnutius olim,
Cum sociâ propriâ pendere jura tori.
Contrà perversos scortillis se macerantes,
Solventesq́ pij vincula conjugij.
Grator, Supremi Te jussa capessere REGIS,
Qui certum cunctis svadet inire torum.
Et quia me stimulas in Christo frater amande,
Ut celebrem thalami gaudia læta tui.
En precor, ut vestris adsit Moderator Olympi
Tædis, vos gratâ prosperitate beet,
Atq́ animos vestros tali connectat amore,
Quem præter mortem tollere nemo queat.
Te, Sponsamq́ tuam ditet benedictio Iovæ,
Et repleat vestram prole subinde domum.

Ita animitus precatur

SEVERINUS Rosentreter / Ecclesiæ Grudentinæ, post sacras literas Augustanam Confessionem Amplectentis à Concionibus Teuto-Polonicis.

Aliud.

Tandem ades, ô hymenæe, novos vehet hesperus
ignes
Jamq; thorum intrat hymen: musica turba
canit.
Sis fœlix ô Sponse tuis concordia votis
Adsit, & hæc faveat Sponsa pudica tuis.
Cœlitus à superis ambos benedictio tangat
Melliflua unanimis pace redundet amor.

Aliud.


SI pia fata volunt, mora nec: pia vota valebunt
Sed pia fata volunt: & pia vota valent.
Conjugium pia fata volunt: pia vota valebunt
Delubro cordis prompta, dicata suo.
Connubium Mystes alijs quod præcipit ambit:
Sic pia fata volunt: sic pia vota jubent
Sicq; agitur censura, & sic exempla sequuntur
Cum Mystes alios, quod docet, ipse facit.

Dat, litat

honoris & amoris ergò


MATTHIAS Fischer Nidopolens
Borussus, in Groß Traumnauw/
p. t. Parochus.

Aliud.



Aliud.

ECce dies lætus venit Doctiſsime Sponſe,
Quo ſubeas caſti vincula ſacra tori:
Gratulor ergò tibi, felici ſidere nato,
De Sponſâ ex animis, Vir Reverende, novâ.
Comprecor ut longùm vitam degatis amęnam,
Nec vobis deſint pignora grata tori.
Tandem pertæſos ævi thalamiq; laborum,
Angelico jungat vos Deus ipſe Choro.



WIr wünſchen Braut vnd Bräutigam
Viel glück von Gott dem HErrn/
Die itzt ſind copulirt zuſamn/
In Zucht vnd allen Ehrn/

Vnd bitten GOtt von Hertzen grundt/
Er woll jhnn beyden gebn/
Fried/ Einigkeit zu aller ſtundt/
Geſundheit/ langes Lebn.

GOtt

GOtt woll auch zu seins Nahmens preiß/
Vnd dem Ehstandt zu ehrn/
Segen der beyden Müh vnd Fleiß/
Darneben auch beschehrn/

Froṁ vnd gehorsam Kinderlein/
Die jhnn in Frewd vnd Leidt/
Nechst GOtt dem HErren ein Trost sein/
Allhie in dieser Zeit.

Endlich woll er auch jhnen gebn/
Vnd vns allen zugleich/
Die Ewig Frewd nach diesem Lebn
Dort obn in seinem Reich/

Welch durch sein Leydn erworben hat
Deß Ewign Gottes Sohn/
Der da regieret Früh vnd Spaht/
Sampt jhm in seinem Thron.

Honoris & amicitiæ ergò f.

BALTHASAR Kannegieser
Scholæ Graudentinæ
Moderator.

Mysta

Myſta per Edenas tactus præcordia flammas:
Freiſtadij Cives qui docet aſtra ſoli:
Conſulit æterni ſacrata volumina Regis:
Inde Grudentini mœnia juſſus adit.;
Quæſitum docti certiſſima Pharmaca Coi,
Sollicito rogitat pectore cujus opem.
Vulnera ſcrutatur Medicus, videt utile Baldi
Conſilium, ſvadet firmiter hujus opem.:
Myſta viro paret, ſacras ingreſſus in ædes
Contra vim Pueri fortia jura petit.
Alloquitur Themidin Baldus, docet illa notatim,
Reginam melius poſſe tuliſſe ſuo
Cultori auxilium: rogat & mox Myſta juvamen,
Lætus ſentit opum, corporis ac animæ.
Edenis tactus diſcat præcordia flammis
Servari poſſit qua ratione Salus.

Thor. Bor. 1637. menſe Junio
SIGISM. GRESERUS Pr. Sil.
Gymn. Thor. Cantor.

Quis dubitat num ſit conjux Eccleſia Juris?
Namq́ue hominum cœtus hoc regit, illa docet.;
Ac totum ſervant jus & pia dogmata mundum,
His ſine nec tellus fixa manere poteſt.
Hoc benè perpendens Sponſus cui Eccleſia cordi eſt,
Conjugii aſſumens vincula grata ſibi
Judicis en gnatam ſociali fœdere jungit.:
Quàm benè diſponit provida cura Dei.

Johannes-Wilhelmus Greſerus Gurâ-Sil.